

PETRI AERO-  
DII IVDICIS QVÆSTIO-  
NVM ANDIVM QVE DVCIS  
LIBELL. MAG. I. C.  
DECRETORVM LIB. VI.

Itemque liber singularis de Origine & aucto-  
ritate Rerum Iudicatarum.

AD V. C. CHRISTOPHORVM  
Thuanum, Equitem, in summo amplissimoq; Late-  
tia Senatu Præsidentem Maximum, Consi-  
liiq; Sacri Consiliarium.



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, via S. Io. Latera-  
nensis, ad insigne Serpentis.

1573.

CVM PRIVILEGIO.



P. ÆRODII IUDICIS QVÆ-  
STIONVM ANDIVMQ. DVCIS  
LIBELL. MAG. I. C. DE ORIGINE ET  
AVCTORITATE RERVM  
IUDICATARVM.

AD V. C. CHRISTOPHORVM THVA-  
num Præsidem Maximum.

**V**S sic vulgò diuiditur ( *Amplissime  
THVANE* ) ut semper ea pars sit postre-  
mo loco, que in Rebus Iudicatis & De-  
cretis magistratuum consistit. Et hæc par-  
titio quidem ( ut opinor ) ex ijs que con-  
tingunt ab antecedentibus accommodata atque tradu-  
cta est: ut cum dicimus, *Architecturam, Eloquentiam,  
Medicinam arte & usu, ratiocinatione & fabrica con-  
tineri, aliâque id genus.* Nam etsi *usum & exercitationem*  
*postponimus, quia arte semel inuenta atque perfecta,*  
*tunc Medicus, & Orator & Architectus minore ne-  
gotio quod cupiunt assequuntur, si instituant prius disce-  
re, quàm dicere: audire, quàm erudire; in præceptis, quàm  
in actione versari: attamen Vsus ille docendi magister  
ita naturali ac primo rerum omnium ordine Artem an-  
tecedit, ut Ars imò nihil aliud sit, quàm quod usus &*



PETRI ÆRODII IUDICIS  
QVÆSTIONVM. I. C.  
LIBER I DECRETORVM  
AD THVANVM.

TIT. I. DE IVSTITIA ET IVRE.

*Ius etiam consistit in rebus Iudicatis.*

I. Ex auctore ad Herennium lib. II.

**C**ONSTAT ius ex his partibus: natura, lege, consuetudine, iudicato, æquo & bono, pacto.

II. Ex Cicerone, in Topicis.

**I**VS civile est quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, Iurisperitorum auctoritate, Edictis Magistratû, more, æquitate consistit.

III. Ex Quintiliano lib. VII. cap. V.

**I**VS omne continetur natura vel cõstitutione, natura, quod sit secundum cuiusque rei dignitatem, hæc sunt, pietas, fides, continentia, aliaque huiusmodi. Constitutio, est in lege, more, iudicato, pacto.

IIII. Ex Calistrato, lib. I. Quæstionum.

**Q**VARE & Seuerus Imperator ita rescripsit: In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatem, vim legum obtinere.